



# The Holy See

---

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SYLHETENSIS\*** IN BANGLADESA NOVA

CONDITUR DIOECESIS SYLHETENSIS Missionari Ecclesiae navitati Nos, beati Petri Successor, valde volentes favere, sollicitam nunc vertimus mentem ad fideles in Bangladesa degentes. Eorum igitur spiritales perspicientes necessitates, de nova cogitamus dioecesi, sicut expostulatum est, ibi instituenda. Idcirco, quorum interest cognita sententia, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis, territorium districtuum civilium vulgo *Sylhet, Sunamganj, Habiganj et Moulibazar* ab Archidioecesi Dacchensi abstrahimus, ex quibus novam Dioecesim erigimus Sylhetensem appellandam. Novae ecclesialis communitatis sedem in urbe v.d. Lokhipur statuimus templumque ibidem extans, Deo in honorem Divinae Misericordiae dicatum, ad gradum evehimus templi Cathedralis, cunctis consentaneis concessis iuribus et privilegiis. Dioecesim Sylhetensem Metropolitanae Ecclesiae Dacchensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis Gentium Evangelizatione subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Ad haec tandem explenda, quae per has Litteras statuimus, Venerabilem Fratrem Iosephum Marino, Archiepiscopum titulo Natchitochensem et Apostolicum Nuntium in Bangladesa, deputamus, onere imposito ad memoratam Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die octavo mensis Iulii, anno Domini bismillesimo undecimo, Pontificatus Nostris septimo.* Tharsicius card. Bertone

*Secretarius Status* Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. CIII (2011), n.8, pp. 512-513. © Copyright 2011 - Libreria Editrice Vaticana

---